ILLUSTRISSIMO, ac EXCELLENTISSIMO

VIRO
MARCHIONI
JOHANNI FOLIANO, ARAGONIO
POTENTISSIMI REGIS
CAROLI BORBONII
A POTIORIBUS, ac SANCTIORIBUS SECRETIS &c.

FRANCISCUS MARIA CÆSAR

F.



NOrma, decor, virtus, FOLIANE, & gloria ſecli
 Noſſe cupis, mandasque potens, avidusque moraris,
Ut ſcita edoceam, ſed culto carmine: ſicut
Materies excelſa, ingens nunc exigit eſſe.

O utinam, o possim! verum sperare facultas
Nulla mihi, veluti vellem, depingere metris
Pro parte exigua; quæ pompa, & luxus, & ordo,
Dextera sedulitas quem pridem, & sedula Maji
Dexteritas struxit: qua causa, & nomine porro
Est tibi compertum: causa est, Fernandus in auras
Editus Austriacus, Siculi pro nomine Regis:
Quod fuit abstersus lymphis lustralibus Ille:
Quodque pii Patris sacratum Hic munus obivit.
Tale fuit porro festum, libare quod æque
Si strictim numeris possem, tunc protinus omnes,
Suspexit quos prisca, colet ventura vel ætas,
Assurgent mihi; deque loco decedere vates
Sponte sua cuperent, gratum pæana canentes.
Obsequar: obsequium, pleno quod jure mereris,
Det, quæso, veniam longe inferiora ferenti;
Et frustra adnixo nunc laudem intexere: pompæ
Detrahitur prout laude, mihi sic dicere culpa est:
Major at imperio minime parere jubentis.
Tectum excelsum, immane, ingens assurgit ab urbe
Vindobonæ ternis stadiis: ubi dicitur auctor,

Cre-

Crediderim dignis dixisse palatia verbis.
Hæc Liechtensteinus Princeps nam condidit: ille,
Qui studet excelsis, semperque excelsa peregit.
Ducit ad has ædes campus declivis, & exit
Scotensi a porta, sedes & vergit in altas.
In medio illius, quam lata & semita longa est,
Glarea sternit iter validis æquata cylindris.
Callis utrumque latus naphtâ, malthâque voraci
Lampades instructæ reddunt fulgore coruscum:
Splendidus hic callis qua denique desinit, illic
Orchestræ geminæ surgunt; discordia cantus
Prodit ab his concors, alternoque ordine reddit
Belligeras voces: feriunt clangoribus auras
Tympana quandoquidem, cornu, lituique tubæque.
Huc ubi deventum est, magnus fuit obvius arcus
Pluribus extructus signis, nitidisque trophæis;
Isque viatorem deducit in atria tecti.
Innectit tamen ille moras, atque otia ducit:
Ac nisi spes subeat longe meliora videndi,
Hic maneat; binas facies vestiget ut arcus.
Interior quarum varias hinc, inde figuras

Exhibet: eſt harum vero pellucida veſtis:
(Virtutes vulgus trito quas nomine dicit)
Cum fortes referant animos, moresque probandos.
Exterior porro eſt geminos depicta Gigantes
Arte laboratos, animat quos lumen & umbra.
Hæc moles immenſa, ingens infraque, ſupraque,
A fronte, a tergo ſpiſſis diſtincta renidet
Luminibus: certo digeſta ſed ordine fulgent
Lumina: non raptim, verum partita gradatim
Antibus, & ſulcis æquis: Mavortius iſthic
Et reboat clangor, feſtivi & claſſica belli.
Hic ſimul ac hoſpes ſignis, & lumine ſpiſſo
Paſcere vult oculos, clangoremque auribus haurit,
Tum fixas acies murus, tectique feneſtræ
Ad ſeſe abſtractas revocant: ellychnia quippe
Scintillant hic plura: ſuum queis ſedula ſuccum
Præſtat apis, mater pinguis ſeu Pallas olivi:
Qua ſeſe effundunt, pariter ſic atria fulgent.
Certa fides, inibi viſus prope Veſvius alter,
Non flammas, cineresque vomens, nec noxius ulli,
Gaudia at ingenerans tantum, non ſenſa timoris.
Neſcius

Nescius est hospes; quo primum vertat, & unde
Avertat fixos oculos: irascitur ipsi
Sponte sibi, quoniam non perlegat omnia visu
Perpetuo: vellet tunc esse oculatior Argo,
Ut cuncta aspiciat, non ulla aspecta relinquat
Lumina, continuo quæ reddunt atria tractu.
Binus ab his aditus vastum deducit ad hortum,
Cui species silvestris inest, sed amœnior illa,
Quo magis agrestis: nam passim plurima buxus
In cuneum exurgit, ramisque sequacibus altas
Pyramides fingit; si vero ætate rebellis
Longius excurrit ramis; quia tonsilis illa est,
Luxuriem forceps perimit: topiaria forma
Huic donec redeat, rectaque evadat amussi.
Pyramides juxta canentia signa videntur,
Mortales varios, varios referentia gestus.
Quatuor areolis hortus distinguitur; hujus
In medio perstat magnus diductus in orbem
Nilus, & euripus; fons exilit unde perennis:
Omniaque hæc reddit radios æquantia Solis
Copia multa facum; qua desinit area tota,

 Magnus

Magnus adeſt xyſtus, ſpecularia magna, domusque
E regione ſedent, paribusque ardentia flammis,
Alteraque alterius ſumpto fulgore coruſcat.
Tam diuturna fuit, vis tanta & lucis; ut ipſis
Invidiæ fuerit ſtellis, quæ nubis amictu
Se tegere optarunt fruſtra; noxque invida fratres
Æolios fruſtra petiit concurrere ſecum,
Ut flammam interimant; medio quando æmula Soli
Viſa ſibi ſplendere, dieque æqualis adultæ.
Crevit in immenſum dolor iſte in pectore noctis:
Poſt ubi non tantum diſcuſſas inde tenebras
Accepit madidis oculis, quod copia roris
Arguit, & frutices, canas veſtivit & herbas
Undique vernantes, mæſta ſed & ebibit aure
Non procul inſolitis ictas concentibus auras:
Quales feſta dies, & Bacchanalia reddunt:
Ac nihil eſt propius factum, quam condat ut antris
Cimmeriis bigas, ſemetque obtruderet illuc.
Invidia ſtellæ, conflagravitque doloris
Æmula nox flamma; feſtivo gaudia corde
Contra ea concepit populus ſpatiatus in horto;

Matro-

Matronæque, Equitesque ſimul plauſere recepti
Ædis ab adverſæ nitidis, multisque feneſtris.
Tempus ad hoc hortus quidquid, via bina, forumque
Edidit, oſtendi tantum pro parte virili,
Pro merito nunquam: vellem nunc jure ſilere
Obrutus a pompis, & luxu haud unius aulæ:
Imperio, Vir clare, tuo niſi ſcribere cogar.
Ecquis enim ſperet complecti carmine poſſe
Interius quidquid nituit? pulcherrima quando
Exterior facies eſt tantum digna ſtupore,
At vires humerosque ſuper; quis nempe columnas
Auſus erit libare metris, hinc inde quaterno
Ordine digeſtas? Pario de marmore ſcalæ
Ex illis geminæ ſurgunt, hisque itur ad aulam
Magnificam, immenſam: viginti huic fulcra columnæ
Suppeditant: ejus pictus tholus arte magiſtra
Emicat: auctori Pozzo nam cedat Apelles.
Omnibus e fulcris myxi terno ordine pendent
Cryſtallo ex nitida, ceraque ardente coruſcant.
Deque lacunari pariter funalia vaſto
Multa cadunt hyalo, puraque nitentia cera:

Quæ

Quæ lucem a nitidis ſumunt, regeruntque columnis.
Hos lucis radios paſſim diſperſa per aulam
Accipiunt ſpecula, & majori fœnore reddunt.
Quot fuerunt illic equites, Nymphæque putabant
Igniferos axes inter Phaetontis adeſſe:
Eſtque exempta fides, quoniam non curreret aula.
Quam late paries ſeſe producit, ibidem
Sigmata, & extabant variis triclinia formis,
Sericaque inſternunt has omnes ſtragula ſedes;
A choreis demum pubes ubi feſſa recumbat.
Ex portæ regione parum conſurgit in altum,
Et reliquas inter ſedes Orcheſtra ſuperbit.
Artificum numeroſa manus ſe contulit illuc:
Docti omnes citharâ, lituo fidibusque chelyque,
Verrentesque omnes tragico cum ſyrmate pegma.
His ita compoſitis, cum primum vergere noctem
In creperam diſpulſa dies, & ſpargere primum
Nox alibi cœpit ſolitas invita tenebras:
Ecce tibi variis mulcent concentibus auras
Cornuaque cytharæque tubæque fidesque chelysque:
Irritantque pedes dudum geſtire dolentes

Ad

Ad choreas: ſurgunt varia tum parte puellæ,
Et proceres, junguntque manus, & cætera ſcito
Ingenio præſtant: noſtris quæ dicere metris
Non erit ex facili; curſus, ſecumque recurſus
Implicitus numeris noſtris longe ocyor ibat:
Spesque mihi non ulla ſequi cum carmine gyros
In numerum ductos, agilesque manusque pedesque;
Quos rear ambiguos oculos fugiſſe tuentum.
Parte alia plures abaci pluteique manebant
Attalico ritu, teſſellatique politis
Segminibus ſylvæ, quam protulit Indica tellus.
Hic ludi genus omne fuit: ſive alea cordi eſt,
Seu juvet ambigui ſortem tentare fritilli;
Dextera cum trepidans numeros emittit eburnos:
Et Venus aut felix, aut læva canicula paret.
Seu Palamediaci potius placuere latrones:
Quum cura intenſa ſemper, ſtudioque cavendum;
Ne reliquum intereat vulgus, vel cedat inultum;
Rex ſimul ac vigili eſt deductus ad incita fraude.
Alea dum vero fervet, feſtæque choreæ,
Inter id algentes alicæ, munusque volabat

 Meſſis

Meſſis aromaticæ, tum blandimenta ciborum:
Queis pretium addiderant anaclypta argentea, ſive
Aurea ſublatis, mirisque inſculpta figuris.
His inerant pateræ, totus queis cedit Iapon,
Et Seres; finxitque induſtria Saxonis illas.
Cum ſatis inde datum eſt ludo, parſumque choreis:
Quæ prorſum inſignes, admirandæque fuere;
Non tantum ob curſus agiles, gyrosque volantes:
Queis uſu Auſtriadum pubes exercita longo
Eminet excellens, & palmam rite meretur:
Aſt etiam exuvias propter ſub imagine larvæ,
Copia queis ingens auri, gemmæque micabant.
Itur, ut ad menſam poſſent accumbere: menſæ
Multiplices fuerant; Equites, claræque puellæ
Has adeunt; ſupra quingenta ſedilia porro
Appoſita ad menſas, queis ſericus eſſet amictus.
Hic vero inceſſat mentem ſi læva cupido,
Dicere ut aggrediar, fuerit quot cœna referta
Omnigenisque cibis ſcitamentisque ciborum;
Non annus referet, quæ ſimplex abſtulit hora.
In menſis Neptunus erat quippe integer, annus
Integer;

Integer; & fluvii, tellus quibus Auſtria multis
Dives & irrigua eſt: fudit Neptunus eodem
Undivagas gentes primi, lectique ſaporis.
Se ſcopuli Adriaci viduos flevere videndo
Oſtrea de cunctis ſaxis potiora revelli.
Nec ſolus Neptunus erat: Pomona, Ceresque,
Et Bacchus, Chloris, Fauni, Panesque fuere
Sed quoque, divitiasque ſuas fudere libentes:
Copia nec tantum miſſa eſt, delectus at æque.
Appoſitum eſt fartum ſyncerraſtumque; quod unum
Sympoſium haud unum poterat componere; Panes,
Et Fauni cicures illi, pariterque ferinas
Sufficiunt, glires, glandes, & amica tomacla.
Dat Chloris genus omne olerum; boletus ibidem,
Aſparagi & ſolidi, tempeſtatique rebelles;
Et quibus injecta dant fulmina bruta favilla
Semina tuberibus; talem ſi Roma paraſſet,
Jam plusquam Salialis erat, vel cœna Dialis.
Excipit has guſtus, quem mille intinctibus offa,
Atque embammatibus totidem condita miniſtrat.
Prætercam plerasque dapes, quas dicere longum eſt.

Prætercam nullus te vero, exotica perdrix,
Cui roſtrum, roſeique pedes; nec Phaſidis amnis
Deſtituam indictas volucres, leporesque lepore
Infertos Trojano, avibus variisque tumentes.
Ac jam dia Ceres ſeſe infert prodiga menſæ:
Cui ſimilæ flores ex palma utraque cremorque
Effluit exundans: tractæ naſcantur ut inde,
Cui nota nobilior, tractaque exinde redacta
In varias facies teretis ſub verbere ſilvæ
Artocreas, laganumque, & cruſtum, copta, minutal.
Buccea, & a ſcito ductæ piſtore placentæ
Eveniant; gratæ ſedeant & ſarcina menſæ.
Jam quoque progreditur vectus Silenus aſello,
Bacchus & inſequitur, qui cuncta inſignia vina
Intulit, & plenis pateris effundit ab orca,
Electoque mero ſpumantia cymbia reddit.
Auſtria quot nitidos, quot Pannonis ora liquores,
Gallia, & Auſoniæ vineta rubentia terræ:
Præcipue quos Ætna coquit, cinerisque Veſevus
Injecto cumulo miſere huic nectara menſæ.
Nec vero Ægeum parſit mare promere dona:
Quæ

Quæ Samos, & Cyprus, fœcundaque vinea Cretæ
Gignit: ab Hiſpanis ſelecta & copia terris
Venit: & extremis pariter de partibus orbis,
(Quæ bona ſpes dictæ) trajecerat Africa vinum.
Quid moror imprudens vos vero, epidipnides, ultra?
Non modo quæ ſtomachum, verum paviſtis & æque
Lumina ſpectantum? quorum plusquam unus, & alter
Abſtinuit morſu, ſpecie ne fraudet ocellos:
Hic omnis conditus, erant & iſicia, liba,
Matteaque, & variis extructa cupedia formis.
Floribus ornavit nitidis hæc omnia Chloris,
Implevitque ſuas tam cauta, & ſedula partes;
Ut pene excierit pugnam viſum inter, & ora:
Exedere hæc ſiquidem malunt, ſpectare ſed ille:
Hæc autem, quotquot fuerunt bellaria, clauſit
Coctilis & teſta, & dives chryſendeton auro:
Murrina queis ultro, & cryſtallina pocula cedant.
Arte laboravit mira gens Saxonis illa,
Et tota incubuit, ſortis ne vaſa ſecundæ
Ad pompam egregiam fuerint, ſed fulgida certent
Cum reliquo luxu; plusquam mora longa futura eſt,

Cura recenſendi ſubeat ſi ſingula cantu.
Præcipue in reliquis noſter Veſuvius illinc
Tollebat ſublime caput, flammasque vomebat,
Et cinerem, & picei revoluta volumina fumi.
Hæc adeo ad vivum ſed vero expreſſa fuere:
Hoſpes ut haud unus trepidus conceſſerit inde
Exuviis veritus flammas, oculisque calorem;
Hinc nemus extabat contra, cui brachia, nudos
Et ramos, frondesque nivis vis plurima texit
Velleribus denſis; & ſicut Veſvius æſtum;
Sic etiam frigus nix ingenerare putatur.
Denique magnificam referentia cætera pompam;
Ut non longa tibi pariam faſtidia; ſponte
Miſſa velim; ex aliis etenim deducta patebunt:
Et bene tu prudens metiris ab ungue leonem.
At non miſſa velim, latebra quin cordis ab ima
Auſtriacæ gentis Patri, Matrique, ſuisque
Pignoribus, quorum floret numeroſa Iuventus,
Tot bona, quot nitidis ardentia lumina flammis
Explicuit nox illa: rogem, precer, augurer, optem
Irriguo de rore Poli, deque ubere terræ.

Quæ

Quæ genti Auguſtæ, ſimul & precer, augurer, optem
Hæc eadem Siculo Regi Sponſæque, ſuæque
Egregiæ Soboli. Soſpes Domus utraque vivat,
Vivat, & æternum vigeat, quo fœdere juncta eſt.
Altera in auxilium alterius conſurgat, opemque:
Infeſtosque petant armis communibus hoſtes.
Cum porro matura thoro gens utraque fiet,
Felices ineant thalamos, feſtosque hymenæos;
Natorum & videant natos, ſerosque Nepotes.
Nec ſane tu miſſus eris, FOLIANE, bonorum
In partem at venias: puri candoris imago
Id tua promeruit, legum prudentia, recti,
Juſtitiæque tenax animus, pietasque fidesque.
Pectoris ingrati dicar reus, immemor ipſe
Si Maji fuerim; & populi niſi nomine grates
Auſtriaci ſolvam; quos edita pompa beatos
Reddidit; huic igitur pariter bona plurima toto
Auguror ex animo; ſiquidem non ſedulus idem eſt,
Sedulitas aſt ipſa: probus, comisque, ſagaxque:
Quique ſemel convenit, amet, veneretur: oportet.
Eſt ſpeculum cordis facies; qui cernet eandem,
Ex-

Exſcriptas cordis dotes quoque conſpicit altas:
Quæ merito obſequii multum, cultusque merentur,
Evinctasque tenent felici compede mentes.
Quod ſimul experta, & Thracum gens barbara faſſa eſt;
Is Conſtantini cum verſaretur in urbe,
A Rege eſt Siculo dum delegatus eodem.
Jam ſatis eſt: ſcripſi: doleo ſcripſiſſe minora
Pro pompa, meritisque tuis, FOLIANE, verendis.



VIENNÆ Auſtriæ,
Typis GHELENIANIS, Anno MDCCLIV.